



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Vespertilio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

DE VESPERTILIONE. CAP. IX.

Monstrosa quoque est Vespertilionis effigies, multaque in se mystica continet hieroglyphi-
ca.

AB EXILI FORTUNA IN ALTUM EVECTUS.

CAP. X.

Præcipuumque illud apud Ægyptios tuit, ut per animal hujusmodi significarent hominem, qui debilibus & exiguis viribus, sive nobilitatis, sive fortunæ, sive etiam ingenii præditus, ita tamen repente emerferit, ut non se tantum humo sustulisse, sed subito volatu elatus in sublime ferri videatur: cujusmodi exemplorum plena Roma semper fuit. Vespertilio siquidem licet pennas non habeat, sola tamen membranula fretus volat, ita ut difficulter distinguas, sit ne avis, an mus. Quare apud *Hæc à Plin. lib. 10. c. 61.* mythologos argute vafreque duas eludit mustelas, dum se alteri avem, alteri se murem venditat, atque ita capitis periculum evadit.

OFFICIA MUTUA.

CAP. XI.

Mirum vero illud inter hoc tam brutum genus, quod tanta se humanitate complectuntur, ut nulla convenientius specie figurave officia mutua describas, quam per Vespertiliones alterum ab altero catenatim dependentes. Habet enim id genus animalium mutuam inter se quamdam benevolentiam, sæpeque veluti catena quadam contexta, si qua illi vis inferatur, mutuo sibi coherent, imbecillitati suæ opem sibi invicem afferentes, visæque sunt alia ab alia alarum hamis unius ad alterum porrectis pendentes, longum veluti funem produxisse.



NUTRICATIONIS FACULTAS. CAP. XII.

Mulierem iidem sacerdotess lactis ubertate sæcundam, & bene nutricantem significare si vellent, *Plin. lib. 10.* eamdem ipsam alitem pingebant: quippe quæ sola volucrum & dentes & mammillas humanis similes habet, lacteque nutrit pullos, uberibus mulierum in modum admotis. Nam Ægyptii, ab iis quæ in unoquoque genere reliquorum naturam aut mores excederent, significationum suarum argumenta desumebant. Quod vero ad mammas pertinet, Græci hanc alendi felicitatem indicaturi, Dianæ simulacrum mammosum effingebant, cujusmodi illud fuit, quod Ephesi tam diu tanto con-
Diana simulacrum mammosum. cursu visitatum, eamque Latini ea de causa multimammiam appellarunt, cujus exempli multa hodie Romæ vetusta signa conspiciuntur. Minime vero prætereundum est, hoc loco in impressis exemplaribus Hori perperam legi, *Τὴν αἰμαθὴν καὶ καλῶς ἀνατρέψαν βελόμενοι ζωογονῆσαι, τε μὲν ζωογονῆσαι, cum ex manuscriptis codicibus antiquis & historia ipsa legendum sit, βελόμενοι ζωογονῆσαι, νυκτεῖδα πάλιν ἔχουσαν ὀδόντας καὶ μαστῆς ζωογονῆσαι hoc est, Volentes pingere Vespertilionem, idem idem dentes & mammas præditam pingunt.* Inde sequitur pro redditione causæ, *ἔτι γὰρ μὲν τῶν ἄλλων πτηνῶν ὀδόντας καὶ μαστῆς ἔχει.* Siquidem sola ex omni volucrum genere, & dentes simul & mammas habet. Quorsum enim dentes & mammas ad Turtorem alitem minime monstrosam?

LUCIFUGA. CAP. XIII.

Quod si hominem latebris & occulto secessu gaudentem, vel qui rei cuspis metu perculsus *Vespertilionum & Formicarum antipathia.* in apertum minime prodire audeat, significare vellent, Formicam & Vespertionis alam adpingere consueverunt. Ajunt siquidem, eam esse inter Vespertilionem & Formicas naturam discordiam, ut si ala tantum Vespertilionis Formicarum cavo admota fuerit, nulla earum foras progrediatur.